



Nf. 96.



15.
9175

Programma
FESTO NATI-
VITATIS DOMINI
NOSTRI IESU
CHRISTI

Ad studiosam juventutem

IN ACAD. IVLIA

P. P.



HELMAESTADT,
Typis IACOBI LUCII.

Anno clō lō cXXXV. 2. N.

FESTO NATIVITATIS DOMINI
NOSTRI IESU CHRISTI

ANNO DOMINI
MDCCLXXII

IN
TYPIS IACOBI
LONDONI



PRORECTOR ACADE-
MIÆ IULIÆ
JOHANNES STVCKIVS ꝑ. U. D.
& Codicis Professor, facultatis Juridicæ Or-
dinarius & Senior, &c.
CIVIBVS ACADEMICIS
S. P. D.



Dest augustus dies ,
quo salutis nostræ recolimus
Sacramentum , ab initio pro-
missum , in fine præstitum , sine
fine permanfurum. Æquum est , ciues , nos
seculi hujus cura omni relicta , in solenni
fidelium conuentu & seorsum in suo quis-
que secessu , erectis fursum cordibus diui-
num adorare mysterium , ut quod ma-
gno Dei beneficio agitur , magna nostra gra-
titudine celebretur. Summum enim Nu-
men , cujus natura bonitas , cujus voluntas
potentia , vt diabolica fraude in æternam
nos vidit exitiali ruina demersos perniciem ,
adfuit adfluctis & inter ipsa mundi peccatiq;
primordia erigendis nobis purgandisq; effi-
cax destinavit remedium. Gloriabatur dia-
bolus

bolus hominem fraude à se præuentum, di-
uinis nudatum dotibus abjectum mortis
mancipium sibiq; in gehenna consortem
redditum; neq; quam delinquenti intermi-
natus fuerat pœnam Deus, salua iustitia rela-
xari posse. Deus autem ex admirandis sapi-
entiæ suæ thesauris nouum promit consili-
um, quo immotam ac ἀμεταμέλητον suam de no-
bis saluandis voluntatem, ad rem confert, &
primam dispositionem occultiore complet
sacramento. Ad tempus itaq; redemptioni
hominum præstitutum de tertio cœlo in
paupertina hæc elementa misit proprium &
vnigenitum filium, nouo ordine, noua nati-
uitate generatum. Inuisibilis, videndum se
exhibet; Dominus vniuersi, seruus apparet;
Immortalis, mortis se legibus submittit. Ex-
emplo nouo & inaudito homo à virgine cõ-
cipitur, ex virgine nascitur, sine paternæ car-
nis concupiscentia sine maternæ integritatis
injuria. Donat matri filius vnde concipitur,
sibi debet proles quod nascitur. Amore ima-
ginis suæ infans vagit Deus, patiturq; se pan-
nis colligari qui mortis & inferni vincula ve-
rat

nerat perruptum. Repugnat mortaliū con-
suetudini quod credimus, sed Dei nititur,
potestate, quod confitemur. Non attendi-
mus ad parientis conditionē, sed nascentis
cogitamus arbitrium, qui, vt voluit homo
factus est. Statuit quod nobis optimū erat
Clementissimus pater: Iniquitates nostræ
quasi interjecta nubes Dei regno, cuius ciues
eramus olim, nos prohibebant penitus. Ne-
mo nisi quæ ad Deum pertingeret pacis esse
interpres poterat. Ecquis autem pertigisset?
quispiamne ex filijs Adam? Atqui omnes
cum parente suo ad conspectum Dei horre-
bant. Angelorum aliquis? Sed enim illi
quoque ejus sunt expertes, virtutis quæ pro
offensa in infinitam majestatem commissa
satisfacere valeat. Quid igitur? deplorata res
erat, nisi majestas ipsa Dei ad nos descende-
ret, quando ascendere nostrum non erat. Ita
filium Dei quod quidem erat permanere at
quod non erat assumere atq; hominem fieri
oportuit. Tantū erat inter nostras sordes &
summā Dei mundiciem dissidium, vt absq;
hac diuinæ humanæq; naturæ in vnā hypo-
stasin

stas in vnione, Deo jungi prorsum nequi-
remus. Nunc quamuis in mortem demersos
ac omni maledictione obrutos nos in soli-
dam spem erigit mediatoris nostri propin-
qua affinitas, & cupidè amplectimur Apo-
stoli verbum: Vnus est mediator Dei & ho-
minum *Homo Iesus Christus*. Poterat Deum
dicere Apostolus, poterat saltem & nomen
hominis sicut Dei omittere, sed quia Spiritus
per os eius loquens infirmitatem nostram
nouerat, vt tempestiuè occurreret aptissimo
remedio vsus est, filium Dei tanquam vnum
ex nobis in medio statuens. Hominem e-
nim nominans propinquum imò contigu-
um nobis esse admonet mediatorem, qui ca-
ro nostra est, & nostrum accepit vt suum ad
nos transferret. Hac ergo arrha freti nos esse
filios Dei confidimus, quia naturalis Dei fi-
lius sibi corpus ex corpore nostro, carnem
ex carne nostra, ossa ex ossibus aptauit vt i-
dem nobiscum esset. Quod nobis proprium
erat suscipere grauatus nō est, vt vicissim ad
nos pertineret quod proprium ipse habebat
atq; ita in commune ipse nobiscum & filius
Dei

Dei esset & filius hominis. Hinc sancta illa fraternitas quam ore suo commendat vbi dicit: *Ascendo ad patrem meum & patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum.* Certa nobis est regni cœlestis hereditas, quia vnic⁹ Dei filius, cuius in solidum propria erat, nos sibi fratres adoptauit, quod si fratres ergo & hæreditatis confortes. Hæc talia, Ciues, nobis hoc die sunt prolibanda vt ad instantem sacram *πανάγειν* justam afferamus deuotionem. Religio nobis sit rei tam excel- sæ negligere memoriam & à solenni abesse fidelium plausu. Ecquid excusabimus si quum ipse nostra causa è cœlo descenderit nos ad illum domo pedem mouere graue- mur? Quum alienigenæ barbariq; ex Per- sîde occurrant vt illum in præsepi jacentem venerentur, nos qui Christianos profite- mur, ne paucos quidem passus emetiri sustinea- mus, vt euectum super omnes cœlos ad dex- tram patris in gloria sua sedentem contem- plumur? Huc quidem in domibus quoq; no- stris, in museis, in cubiculis & nusquam non mentem eleuare & possumus & debemus. At
præ-

præcipuo quodam fructu nostro id fiet in
publico fidelium cœtu, vbi divinorum my-
steriorum augustior redditur veneratio &
exemplo iuuat iuuaturq; deuotio. Com-
pareamus igitur ad sancta mysteria precum
hymnorumq; *συμφώνια* concelebranda & Ec-
clesiæ ex gentibus primogenitus exemplo,
triplex munus offeramus, animum no-
strum, corpus nostrum, & facultates no-
stras. Offeramus aurum mundæ per fidem
conscientiæ. Offeramus tura precum odo-
ramenta illa spiritualia & statuatur oratio-
nes nostræ sicut suffitus coram Domino.
Offeramus myrrham patientiæ & iusta au-
steritate carnem nostram in seruitutem re-
ductam cohibeamus, ne lasciuia putere in-
cipiat. Deniq; beneficiæ erga eos, qui-
bus constituit dominus vt ex Euangelio vi-
uant, & communicationis ne obliuiscamur,
talibus enim victimis Deus delectatur.

Valete. P.P. in acad. Iul. ix. Kal.

Ian. clō Io cxxxv.

Je 765



ULB Halle
002 413 515 3




TA-OL

VD 77


42





Handwritten text in cursive script, partially obscured and illegible.






Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------



na
NATI-
OMINI
ESV

ntutem
 IA

l,
 LVII.
 XV. 2. H.

15.
 an 75

